

& argumenta non ἀπολογομαχίαις postulant. Mercedem promissam gratuitam esse agnoscunt, eaq; sola contenti sunt, ut qui maximè Meritam non modo non volunt, sed ut nimis superbam, atq; ut simpliciter impossibilem inter Deum & homines respuunt: Eam, quæ promittitur, gratiosè debitā esse, & ex justitia distributiva sed gratiola dari credunt. Si quis istā phrasin nolit rem teneat, & pax est. At, qui actū Lege præscriptū nobis, in nobis sine nobis effici volunt, eumq; eodem modo nobis donari, quo robur, sanitas, pulchritudo donantur, eos mercedis promissionem totamq; adeo promissæ mercedis distributionem, quam ex justitia fieri dicit Scriptura, stultam & ridiculam actionem facere censent, neq; ullo alio fine id facere posse, si cum ratione agere velint, quam ut sub specie humilitatis, qua divinæ bonitatis laudem extollere videri volunt, suæ ignaviæ, desidiæ, securitati & torpori lenocinentur, ut, dum omnia à Deo in se effici credunt, nihil à se magnā curā fieri necesse esse sibi persuadeant, & quod pessimum omnium est, cum in peccata gravissima incidunt, tantò fortius sibi mercedem æternam promittere audeant, ne ea merita videatur, sed ut gratuito collata esse credatur.

Multa alia in Confessione a Remonstrantibus contra irresistibilem gratiam allata sunt, quæ Censor ne extremo quidem digito attigit. Quæ causa eum moverit, Lector judicet. Nos eum præeuntem sequemur, rati argumenta illa, quæ non nisi studio præterita videri possunt, talia esse, quæ solvi non potuerunt, aut difficultate maxima laborare Censori visa sunt.

EXAMEN CENSURÆ CAP. XVIII.

De promissis divinis, quæ jam conversis ac fidelibus in hac vita præstantur, hoc est, de electione ad gloriam, adoptione, justificatione, sanctificatione & ob-
signatione.

IN hoc capite beneficium electionis ad gloriam, quatenus ad hanc præsentem vitam pertinet, inter promissa illa collocatur, quæ fidem & conversionem hominis consequuntur: Hoc primo loco carpit

Bbb

co carpit

Mercedē promissam ex gratia dari & simul ex justitia distributiva non pugnat

Si fides irresistibiliter efficitur in nobis, mercedis promissio, quæ ex justitia fieri dicit Scriptura, vanissima est.